



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-582886-p0001-9

DFG



POSITIONUM

III.

MISCELLANEARUM  
JURIDICARUM  
DECADES VII.

16277

QVAS

ASPIRANTE DIVINI NUMI-  
NIS GRATIA

SUB PRAESIDIO

VIRI,

CLARISSIMI ET CONSULTISSIMI


DN. SIGISMUNDI *flach/*  
U. J. D. ET IN INCLUTA ARGEN-  
TORATENSIMUM ACADEMIA PROFESSO.  
RIS ORDINARIIS PRÆCEPTORIS ET FAUTORIS  
sui summâ observantiâ colendi,

*Publicæ disquisitioni subiçit*

Addiem 14. Septemb.

IN AUDITORIO MAIORI.

CHRISTOPHORUS FRIDERICUS *Schwald*  
Sedino - Pomeranus.



ARGENTORATI.

Typis JOHANNIS REPPIL.

ANNO M. DC. XXVII.



REVERENDISSIMI  
ILLVSTRISSIMI  
CELSISSIMI  
PRINCIPIS  
AC DOMINI  
DN. BUGISLAI  
EPISCOPI CAMINENSIS  
DUCIS STETINI POMERANORUM  
CASSVBIORVM  
VANDALORVM  
PRINCIPIS RVGIAE  
COMITIS GVTZCOVIAE  
DOMINI  
IN  
LEVVENBURG & BUTOVV  
PRINCIPIS AC DOMINI SVI CLEMENTISSIMI  
Consiliariis Prudentissimis  
MAGNIFICO  
STRENVO  
AMPLISSIMIS  
AC  
CONSULTISSIMIS  
VIRIS

DN. JOHANNI Hægmeister Hæreditario in hohen Selchow.  
DN. JOHANNI CHRISTOPHORO Schwalenberg. J. U. D.  
DN. SEBASTIANO HEMPELIO. J. U. D.

Dominis suis patronis, affinibus, & cognato  
summo obseruantia studio perperim colendis.  
Primitias hasce Academicas

In  
Animi beneficia recolentis signum & sui  
suorumq; studiorum commendationem  
alteriorem

Offert ac consecrat  
Author Respondens.



112

## DE O D V C E

### THEISIS I.

**A**Emerè nonnulli culpant illam in Iure nostro positam Iuris divisionem, quâ distribuitur illud in Naturale, Gentium & Civile. Quamvis enim jus absolutè et in se prout solius hominis est, et in bestias rationis expertes non cadit, consideratum, aut naturale solummodo sit, vel Positivum: Relatè tamen & respectu principiorum à quibus pri-  
mum traxit ortum, rectissimè à juris compositoribus in supradicta tria genera partitum esse statuo.

### II.

Naturalia jura esse immutabilia; Positivum autem vel desuetu-  
dine vel alia lege latâ mutari posse probat *l. penult. ff. de l. & l.* Natura-  
lia autem intelligo ea, quæ in naturâ & ratione sunt posita, ut et Gen-  
tium jus, quod naturali contradistinctum fuit præcedente Thesi, hîc  
includam.

### III.

Dubia hinc oritur quæstio; An tanta consuetudinis sit vis, ut pos-  
sit vincere legem? Affirmandi rationem suppeditat *l. 32. ff. d. LL.* Ne-  
gandi *l. 2. C.* Quæ sit long. consuet. Sed prioritamen sub scribo cum  
Vigel. in Meth. Iur. Civ. part. 1. l. 1. c. 4. Si scilicet consuetudinem lex  
scripta præcesserit, & ea quidem lex fuerit specialis; nam generalem  
vincere nequit, nisi & ipsa fuerit generalis.

### IV.

Communis quidem est Dd. opinio, minorem 25. annis in Iudicio  
procuratorem esse non posse; Verior tamen videtur contraria senten-  
tia statuentium, quod minor dummodo 17. compleverit annum, pro-  
curatorem in Iudicio rectè agere possit: Idque tali factâ argumentati-  
one à majori ad minus; Qui hac ætate (anno sc. 17. completo) potest  
postulare, is multò magis procurare: At minor postulare hac ætate nō  
prohibetur, *l. 1. d. Postul.* Ergo: Majoris connexio fundamento illo ni-  
titur Logico; Cui quod plus est licet, ei & quod minus. *l. 21. d. R. I.* Plus  
autem esse postulare, minus procurare patet ex eo quod prius illud di-

A 2

gnita-

gnitatis sit functio, cum infames ab illo arceantur; posterius autem officium privatum et vile, quo & infames fungi possunt, imò servile ut vocatur in l. Si quis procreationem 34 C. d. Decurion.

V.

Quamvis lege naturæ una omnibus parentibus servanda sit reverentia l. parentes 6. d. In jus vocando. Patris tamen vel avi saltem cōconsensus in nuptiis filii de Jure Civili necessariò requiritur. l2. l. nuptia 18. d. Rit. nupt. l. nec filium 12. C. d. nupt. Ita ut contractæ sine patris consensu, copulâ carnali insecurâ, Jure Civili dissolvi possint.

VI.

Matris autem consensus in nuptiis filii, ut quem in potestate non habet l. 5. C. d. Adopt. §. Fœminæ 10. l. eod. nō requiritur, sicut nec patris in filio filiave emancipatis l. 25. d. Rit. Nupt. Nisi sint minores 25. annis, tunc enim licet vidua sit filia, nuptias sine patris, aut si hoc sit orbata, matris & deinceps cognatorum consensu inire non potest. l. Viduæ 18. l. in conjugione 20. C. d. Nupt.

VII.

Cum in matrimonii non modo vinculum civile seu cognatio inspiciatur, sed honestas potissimum etiam naturalis. l. Semper 43. d. Ritu nupt. rectissimè puro eas personas quæ sibi invicem parentum liberorumve loco in adoptione sunt, in linea rectâ, ne solutâ quidem illâ conjungi posse. Licet enim emancipatione omnia adoptionis jura solvantur l. penult. C. d. adopt. manet tamen quædam reverentia erga eas personas, quæ semel lege & jure fuerunt parentes, cuius intuitu nuptiæ inter eas merito prohibentur §. l. l. d. Nupt.

VIII.

Non concubitum sed consensum facere matrimonium, argumento est l. 31. d. R. I. Quocirca id etiam in extremo mortis articulo contrahi & sic liberos per hoc legitimari posse non immerito concluditur, dummodo dotalium instrumentorum confessio, quæ ad effectum legitimationis in nuptiis requiritur, accedit; Cum & aliæ sicut in ambiguis pro dotibus l. 85. d. R. I. Sic pro legitimatione tanquam causâ favorabilisit concludendum.

IX.

l. 77. d. R. I. non videtur obstat §. 3. l. Qui testam. tur. dar. poss. Quod enim ibi Tutoris datio per diei vel conditionis adjectionem intro-

173

intotum vitiari dicitur, id quidem obtinet in tutelâ dativâ ac legitimâ. l. muto 6. §. i. d. *Tutel.* non verò Testamentariâ, quæ certâ formâ à lege non ordinatur, sed arbitrio testatoris cui eam deferre velit, relinquitur: Cum enim provisio hominis tollat provisionem legis, noluit lex de jure, quod habet pater in liberos (quibus ex affectione optimè provisurus intelligitur l. nec in ea. 22. §. ult. ad leg. Iul. d. adult.) quipiam decerpere, sed ut pro arbitrio tutorem sive pure sive sub condizione, sive in diem, sive ex certo die liberis ordinare possit ei permisit d. §. 3. i. *Qui testam tut. dar. poss.*

#### X.

Tutoris datio neque juris dictionis propriè sic dictæ, neque imperii est, sive meri sive mixti, sed ei competit, cui lex vel Senatus consultū vel Princeps eam dandi potestatem specialiter concessit l. 6. §. 2. d. *Tut.* l. 1. §. 3. d. *Susp. Tut.* Sive Iuris dictionem is vel Imperium habeat sive nō, ut aperte probat l. 3. d. *Tut.* & *cur. dat.* & l. ubi absunt. 19. ff. *cod.* ubi ius dandi tutores decurionibus specialiter & magistratibus municipalibus, qui tamē ea quæ sunt imperii non habent, concessum est: Quin nec proconsuli vel præsidi, qui omnibus post principem majus in provinciis habent imperium, ex suo imperio competit, sed à lege nominatum est concessum; l. 1. 3. & seq. & *Tut.* & *curat. dat.* quā concessione opus non fuisset, si jure magistratus illis competeret.

#### XI.

Iuris illa Regula, quā paria censentur initio consentire vel ex intervallo ratum habere, in tutori non obtinet: Is enim nisi in ipso statim contrahendi actu pupillo author fiat, nihil agit §. 3. i. d. *Auth. Tut.* cum enim pupillus per se contrahere nequeat l. 189. d. R. 1. authoritas tutoris quæ ad ipsius personam integrandam ac quasi legitimandam necessariò requiritur, ab ipso contractus actu dividi non potest.

#### XII.

Cum curator non personæ sed rebus detur, & ejus officium in solâ rei familiaris, ac negotiorum administratione consistat l. 20. d. *Ritu nupt.* l. 8. C. d. *nupt.* Itaque cum Wesenbecio contra communem Dd. opinionem rectè concludo, minorem velut sui Iuris, extra judicium respectu personæ contrahere, seque obligare, ut & uxorem ducere absque authoritate curatoris posse, per l. *puberes* 101. d. V. O. dd. II. d. *Ritu nupt.* & l. 8. C. d. *nupt.*

#### XIII.

Licet regulariter tutores ob fraudulentam tutelæ administratio-

A 3 nem

Nem tanquam suspecti removeantur, & infamia notentur, aliusque tutor in eorum locum detur l. 6. C. d. *suspect.* Tut. §. 4. I. eod. legitimo tamen quamvis dolosè versatus sit curator potius adjungitur l. 9. d. *suspect.* Tut. ne famæ ipsius & existimationi per hanc injuriam quicquā detrahatur. d. l. 9. d. *Suspect.* Tut.

#### XIV.

Subsidiaria actio quâ post factam in bonis dativorum tutorum corundemque fidejussorum, cum solvendo non sunt, excussionem, magistratus à pupillo ejusq; successoribus conveniri potest, ad superiores magistratus qui imperium habent non extenditur; sed in solos inferiores qui exactâ satis datione tutores constituunt, competit, & in eorum heredes quoque datur l. i. & seqq. d. *Magistrat. conven.*

#### XV.

Tutores ob dolum saltem non verò culpam remotos fieri famosos propugnabo, idque per expressum textum in l. ult. C. d. *Susp.* Tut. nō obstante, quod lata culpa dolo æquiparetur; id enim in cōtractibus quidem procedit, in delictis non æquè, ut appareat ex l. 7. ff. ad L. Cornel. d. *sicar.* neque rursus obstante l. *Impuberibus* 7. ff. d. *susp.* Tut. Quod enim ibi tutor ob latam culpam removendus dicitur, id, ut rectè interpretatur Wesenbecius, verum quidem est, quo ad remotionem, non vero infamationem, quæ in materiâ odiosâ non est extendenda.

#### XVI.

An ut yenandi ita & piscandi jus in alieno sit licitum variæ Dd. sunt opiniones: Borcholt. cum Cujacio, à partibus stant affirmantium, quarum opinionem etiam tueri placet: Eadem siquidem piscium qui qui in alieno stagno sunt, & ferarum quæ in sylva vagantur alienâ, hîc est ratio: Pisces enim non secus ac feræ bestiæ in naturali libertate relîcti sunt l. 3. §. 14. ff. d. *acquir. poss.* & propterea cum à nemine possidentur & in nullius sint dominio, occupanti cedunt. facit §. 12. I. d. R. D.

#### XVII.

Bonæ fidei possessor qui justo titulo fundum alienum, ab eo quæ Dominum credebat emptum possidet, omnes quidem fructus, ut quorum perceptio possessionem naturaliter sequitur, pleno jure suos facit, fundo autem à vero Domino ante completam usucacionem evicto, ad restitutionem extantium, ut qui absque causâ apud ipsum futuri essent, tenetur: Dixi Extantium; consumptos enim licet locupletior sit factus non restituit, cum jure soli ac quasi Domini eos lucretur l. 25. ff. d. *usur.*

*d. usur.* Quod secus se habet in hæreditatis possessore, is enim etiam consumptos, quatenus locupletior est factus, unà cum hæreditate restituere compellitur. *l. i. & 2. C. d. Hæred. petit.*

174.

### XVIII.

Qui sciens alieno in solo ædificat, nullam adversus Dominum soli impensarum nomine habet actionem *l. 7. §. 12. ff. d. acquir. rer. dom. §. 30. I. d. R. D.* Ita ut ne quidem materiam dissoluto ædificio vindicare possit *dd. ll.* Idque propterea, quia tum juris interpretatione sciens ac volens & animo donandi impensas in rem alienam factas alienasse videtur *fac. l. 27. §. 25. ff. ad L. Aquil. l. 14. ff. d. donat. l. 2. C. d. R. V.* Quæ tamen præsumptio eliditur si contrarium evidenter probari possit, exemplo *l. 29. d. R. V. l. 5. §. 2. d. Dol. mal. & met. except. l. 5. C. d. R. V. l. 6. §. 3. ff. d. Neg. gest.* Alias si is qui impensas fecit, adhuc rem possideat, impensas aut facultatem tollendi quod ædificatum est, per retentionem vel exceptionem doli, domino rem suam vindicanti oppositam conse- qui potest *l. 38. d. hæret petit. l. 37. d. R. V. l. 2. 5. C. cod.*

### XIX.

Actio detigno juncto, quæ Domino materia ad duplum adversus eum qui junxit *l. XII. Tabb.* agere permissum, etiam in bonæ fidei ædificatorem competit. *arg. §. 29. I. d. R. D. l. 7. §. 10. ff. d. A. R. D. l. 6. ff. ad exhib. l. 23. §. 6. ff. d. R. V.* Duplex enim actio de tigno juncto à *l. XII. Tabb.* introducta est; utraque quidem in duplum: Verum una merè pœnalis quæ datur adversus eum qui malâ fide & sciens tignum alienum junxit. *l. 1. 2. ff. d. tign. junct. extra quam competunt domino tigni* aliæ actiones rei persecutoriæ *dd. ll.* altera mixta quæ adversus bonæ fidei possessorem datur, & actiones concurrentes rei persecutorias consumit *dd. ll.*

### XX.

Plus juris in percipiendis fructibus habere bonæ fidei possessorem, quam fructuarium probat *l. qui scit. 25. ff. d. usur. & fruct.* Quamvis enim in eo convenient, quod omnes uterque lucretur fructus; differunt tamen ratione modi illos acquirendi: Bonæ fidei namque possessor fructus, ut quos jure soli capit, statim percepisse intelligit, rqua à solo separati sunt. *l. si fructuarius 13. ff. quib. mod. usus fruct.* Fructuarius vero non antè suos fecisse intelligitur, quam si ipse vel ejus voluntate aliuseos perceperit, hoc est, à solo separaverit. *l. si ejus 78. d. R. V.* Præterea fructuario mortuo, cum omnibus servitutis cum morte ipsius extinguitur, ad heredem nihil illius juris, ut quod ante perceptionem

nom

non habuit transmittitur, ex ratione l. 54. d. R. I. Bonæ fidei autem paſſor cum jure dominii ac ſoli, ut dictum, eos perciptiat ad heredem rectè illud juſtū transfert.

XXI.

Cum nuda Domini voluntas ad transferendam rem per tradi-  
tionem ſit ſufficiens arg. §. 35. l. d. R. D. l. 36 ff. eod. optimè defendi poſ-  
ſe puto, dominium rei traditæ ad accipientem transire, licet in cauſâ  
ſeu titulo translationis error interceſſerit, dummodo de re & corpore  
certi fuerint contrahentes. l. cum in corpus 36. d. A. R. D.

XXII.

Servitutum illæ species, quibus in Reales & Personales distribuuntur, non ſunt adeò contra diſtinctæ, ut altera in alteram coincidere nō  
poſſit: Nam &c. iter & actum & viam ac reliquias ferè quæ inter reales  
recenſentur servitutes, poſſe quoque eſſe personales apparet ex l. 6. d.  
ſervit. leg. l. 4. d. S. R. P. l. 14. §. fin. d. alim. leg. l. 1. d. uſu. & uſufr. leg. &  
ſimil.

XXIII.

Cautio in quaſi uſufructu legato adeo eſt neceſſaria, ut illà omiſſa  
nomen uſuſructus ferè non mereatur. Cū enim uſuſructuarius re-  
bus illis, quæ uſu consumuntur legatis uti aliter non poſſit, niſi ſimul  
abutatur, nec fructum earum ſalvā corporis ſubſtantia manente perci-  
pere poſſit, ut Dominum quoque harum rerum in iſum tranfeat,  
neceſſariō requiritur: ſed quia ſua res nemini ſervire dicitur. l. 5. ff. ſi  
uſuſruct. ideo quò exitum ſortiatur uſuſructus, legatarius benefi-  
cio cautionis uſumfructum retinere, heredi autem res legata ſi non in  
ſpecie tamen in genere ſalva manere effectu intelligitur.

XXIV.

Uſuſructuarium juſ utendi fruendi poſſe alienare & alii conce-  
dere ſtatuo. Ita, ut licet effectu nihil differat ab uſuſructario, iſ cui juſ  
illud percipiendi fructus, quovis titulo juſto ab uſuſructario eſt con-  
ſtitutum, dum omnes æquè fructus ac uſuſructuarius, tam ad neceſſi-  
tatem, quam utilitatem lucratur: ratione tamen juris & ſervitutis, quæ  
ex perſonā uſuſructuarii, non verò alterius pendenda, & cum morte  
uſuſructuarii extinguitur, ut nihil amplius penes alterum remaneat  
juris, differentiam quandam inter hos manere dubitari non debet. l.  
neceſſario 8. §. ult. ff. d. peric. & comm. rei vend.

Si de-

Si debitor rem creditorī oppignoratam furto surripuerit, tum si Dominus est rei oppignoratae, furti quidem tenetur, res tamen non sit furtiva, nec ejus usucatio impeditur, si postea ad alium bonae fidei possessorem pervenerit, quia Dominus ipse furtum non patitur, sed facit. l. 19. §. ult. l. 20. ff. d. furt. Idem est si res oppignorata non sit debitoris propria, sed aliena, bona tamen fide ab eo possessa; Ita scilicet ut si eam creditori suo furto abstulerit & eam subreptam distraxerit, tunc ea res usucapi à bonae fidei emptore possit l. 4. §. 21. ff. d. usucap. l. 5. ff. pro empt. Quod si verò bona fidei possessor rem oppignoratam creditori subreptam non distraxerit, sed retinuerit, erit ea furtiva facta, ita ut debitor cœptam ejus usucaptionem continuare nequeat, nisi in creditoris potestate fuerit reversal. ult. ff. de usucap.

Bonam fidem ut in usucapione ita & in præscriptione, exæquatis hodiè per Imperatorem in l. unic. C. de usucap. transform. utriusque iuribus, non per singula momenta inspici, sed tempore cœptæ usucapionis saltem attendi, nec malā fide superveniente interrumpi manifestum est. Quod tamen distinctionem quandam recipit. Hæres namque vel alias successor universalis, cum ejusdem cum defuncto reputetur juris, ejusdemque personam repræsentet. l. hæredem 60. d. R. I. rem à defuncto usucapi cœptam, usucapere, licet alienam sciat, non prohibetur, dummodò defunctus bona fide ejus natus fuerit possessionem. l. 2. §. 19. ff. pro empt. Emptori vero, vel alii successori singulari, nisi ipse quoq; rem bona fide accipiat, tempus usucaptionis à venditore cœptæ, utut is in bona fide fuerit constitutus, nullo modo prodest. d. l. 2. §. 17. pro empt.

Filius familias quamvis testamenti factionem non habeat, mortis tamen causâ, patre id specialiter permittente, donare potest. l. tam is 25. ff. d. mort. caus. donat. Licet enim quoad effectum ejusmodi donatio pro ultimâ habeatur voluntate, quoad essentiam tamen & constitutionem pro conventione inter vivos initâ habetur, atqui contrahere filius, maximè patris consensu non prohibetur. Deinde nec legatis hæ donationes per omnia comparantur, cum non ut hæc à testamenti factione dependeant, quod & ostendit discrimen illud retentum in l. si alienam 13. d. mort. caus. donat. ubi ita donari potest, ut nullo casu dona-

ta revocari possint , quam legem testator in legatis sibi dicere , ut cuius voluntas ad mortem usque sit revocabilis, nequit. l. si quis 22. d. legat. 3.

### XXVIII.

Licet maritus in rebus dotalibus verum habeat dominum l. in rebus 30. C. d. jur. dot. §. 1. I. quib. alien. lic. vel non. attamen ne quidem uxoris consensu maritus rem dotalement immobilem sive obligare sive alienare potest l. unic. §. & cum lex 15. C. d. rei uxor. act. Quod speciale est, & contra Juris Regulam, quā dominia voluntate & facto dominorum transferri dicuntur, introductum; Cum enim publicam spectet utilitatefn, salvas esse uxoribus dotes l. 1. ff. solut. matrim. meritò lex alienationem earum vel obligationem ne volentibus quidem indulgendar censuit d. l. unic. C. d. rei uxor. act.

### XXIX.

Debitor qui omissis, quæ in l. Sancimus 25. C. d. admin. tut. requiruntur, solennitatibus, pupillo solvit, ex integro conveniri non potest, si salva pecunia pupillo extet, vel locupletior exinde factus sit. l. 4. § si quis 4. ff. d. Except. dol. mal. quamvis enim obligatus reverà maneat, eoque sibi imputare debeat, quod conditionem ejus, cum quo contraxit, ignoravit; attamen cum bona fides idem bis exigi non patiatur l. 57. d. R. I. exceptione doli pupillum, ut qui cum alienâ jacturâ locupletari velit, ab institutâ actione poterit repellere d. l. 4.

### XXX.

Fœmina ut in contractibus ita & in omnibus ultimis voluntatibus, solo testamento excepto, testis, ex communi Dd. sententia, esse potest: Si quidem non tam solennitatis quam probationis gratiâ testes in ultimis illis requiruntur voluntatibus, ut patet ex §. ult. 1. d. Codicillis. l. ult. C. d. Fideicomm. ad hanc autem declarandam mulier adhiberi non vetatur l. Qui testamento 20. §. Mulier 6. Qui testam. fac. poss. l. Ex eo. 18. ff. d. Testib.

### XXXI.

Testamentum ante militiam non jure factum, valere jure militari, si quis miles in expeditione degens illud valere velle dixerit, probat l. Titius 25. l. in fraudem 15. §. 2. ff. de Testam. mil. Quod tamen non sic intelligendum, ac si subsequenti militia, ipso jure confirmetur, (sic enim obstaret, quod dicitur, vitiosum ab initio tractu temporis & su- perve-

116.

perveniente aliquo casu non convalescere ) sed ut novum aliquod militis factum interveniat, ex quo utcunque intelligi possit, eum à priori sententiâ non recessisse, ut appareat *ex d.l.15. & l.Tribunus 20. §.1.d.t.*

### XXXII.

Filiofamiliâs, qui ex lege suus est heres & quidem necessarius §. fin. I. de Hered. qual. & differ. à patre jus illud suitatis per exhereditationem non adimitur. l. ult. ff. Vnde legit. cum & ei à patre pupillariter substitui, §. 4. I. d. Pupill. substit. ut tutor dari possit, l. 4. de Testam. tut. & obstat nepoti ex se nato, ne ad avi hereditatem admitti, & in locum patris sui exheredati succedendo, testamentum avi rumpere possit. l. 9. §. 2. ff. d. lib. & posthum. l. 6. pr. d. Injust. rupt.

### XXXIII.

Substitutum substituto, substitutum quoque esse & succedere instituto, probat l. si Titius 27. ff. de Vulg. & pupill. substit. nec attenditur temporis ordo, utrum tertius secundo, antequam is instituto substitueretur, fuerit substitutus, sed utraque portio ad ipsum jure pertinet. l. Coheredi 41. §. 1. eod. Et hæc quidem in vulgari substitutione omnimodo procedunt, etiamsi substitutus ante institutum decellerit d.l. 41. in pupillari verò non item; in quâ, si substitutus prius quam institutus decebat, tertius quidem substituti hereditatem jure vindicat, ad instituti autem postea mortui portionem non admittitur. l. penult. ff. d. t.

### XXXIV.

Testamentum jure ac debitis solennitatibus factum, per posterius, nisi id ipsum quoque juris observato tenore, ordinatum, & omnibus modis perfectum fuerit, non rumpitur. arg. §. penult. l. Quib. mod. testam. infirm. excepto casu speciali in l. 2. ff. d. Injust. rupt. ubi scriptis in posteriori heredibus, qui ab intestato ad defuncti successionem venire possunt, cum in priori essent instituti extranei, prius à posteriore, licet imperfecto, infirmatur, dummodo quinque testes in posteriori testamento fuerint adhibiti, ut patet ex l. hac consultissima. 21. §. si quis 3. C. d. Testam.

### XXXV.

Cum lex liberos suos aut institui, aut nominatim, justisque ex causis testamento insertis, velit exheredari §. 1. l. de Exher. lib. §. aliud quoque 3. in Auth. ut cum de appellat. Nov. 115. rectè cum Wesenbecio

concludo, non sufficere debitam lege portionem quoquo modo liberis: esse relictam, sed requiri, ut si non in totâ hereditate, tamen legitimâ parte, vel minori (salvâ repletione) heredes instituantur: Alioqui testamentum, ut contra legis ordinationem factum, penitus annullari, & ita querelam Inofficiosi, tanquam ultimum remedium, locum hoc casu habere non posse, cum alio jure nullitatis videlicet quæstione, testamentum impugnari possit.

### XXXVI.

Propugnabo cum Cujacio per Nov: 18: etiam fratum legitimam, turpibus personis institutis, in trientem hodiè esse mutatam. Cum enim Imperator omnium portionem augere voluerit, qui de Inofficio olim agere potuerunt, ut universalis illa particula, *in fin. d. Nov. adjecta*, declarat, cur fratres excludi debeant, rationem non video..

### XXXVII.

Filius familiæ, quamvis aditione opus non habeat, sed ipso jure à morte patris suus statim fiat heres, ac dominium hereditatis in ipsum continuetur §: 5. I. de Hered. quæ ab intest. l. in suis 14. ff. d. suis & legit. nō tamen, antequam facto aliquo pro herede se gerat, vel nudis verbis voluntatem suam de hereditate retinendâ declaret, sicque abstinendii juri, quod ipsi à Prætore indultum, renunciet, ullis oneribus hereditatiis implicatur..

### XXXVIII.

Quamvis hodie legatorum generibus horumque diversis juribus sublati, una eademque omnium sit effecta natura. l. 6. C. commun. d. legat. Justamen accrescendi, inter legatarios locum æquè non habet. His enim, si disjunctim à testatore res aliqua legata sit, tota, ut olim in vindicationis legato, singulis debetur, ideoque alterutro non concurrere, collegarius eam absque onere, jure sui legati capit: l. unic. §. ubi autem 11. C. d. Caduc. tollend. Sin verò conjuncti fuerint legatarii, jus quidem accrescendi iis non denegatur; l. Si pluribus 23. d. legat. i. nec fisco, ut olim in Damnationis legato, deficientis pars acquiritur; sed cum pars tantum ab initio, ob conjunctionem factam, singulis debeatur. l. plane 34. §. Si conjunctim 9. d. legat. i. deficientis pars cum suo one- read collegatarium pertinet, ut patet ex d. l. unic. C. d. Caduc. tollend..

### XXXIX.

Legatum rei, cuius commercium legatarius non habet, inutile est, ita ut:

ita ut ne aestimatio quidem legatario debeatur §. 4. I. d. Legat. l. 39. §.  
ult. ff. d. Legat. i. non obstante l. 114. §. Si quid. 5. ff. eod. Loquitur enim  
ibi Ictus de legato, quod quidem legatarius, ex superveniente aliquo  
casu (ut hic notat Borch.) capere non potuit, ejus tamen commercium,  
ut quisvis alius licite habuit.

117.

#### X L.

Cum nemo ex ultimâ voluntate ulterius onerari debeat, quam  
sit honoratus. l. 1. §. Si is qui 17. ff. ad SC. Trebell. optimo etiam jure defen-  
ditur, legatarium rem alienam, à defuncto per fideicommissum alteri  
reliqtam, redimere, aut ejus aestimationem præstare non cogi, nisi tan-  
tum à testatore acceperit, quantum ad eam redimendam sufficiat, juxta  
dispositionem l. generaliter 24. §. si quis alienam. 12. ff. d. Fideicommissio  
libert.

#### X LI.

Heres, qui deductâ perfideicommissum quartâ, alteri hereditâ  
rem restituit, ipso quidem jure, ut qui juxta regul. l. Ei qui solvendo 88. de-  
Hered. inst. semel heres factus, heres esse desinere non possit, credito-  
ribus & legatariis, si forte per omnia iis nondum sit satisfactum, manet  
obligatus, & ab iis, ut cum quibus aditâ hereditate quasi contraxisse  
videtur, directò potest conveniri, sed oppositâ exceptione SCti Trebel-  
liani, cōtra agentes creditores, derivatis à se in fideicommissarium uti-  
libus actionibus, tutus est, & indemnus à fideicommissario, ut qui effe-  
ctu factus est heres, servari debet.

#### X LII.

Naturales liberi per subsequens matrimonium legitimati, cum  
omnia suorum nanciscantur jura, & nihil à legitimis differant. l. Cum  
quis 10. C. d. nat. lib. parentibus, cum liberis ex justo matrimonio pro-  
creatis, per omnia æqualiter succedunt: d. l. 10. Nov. 89. Quib. mod. natur.  
effic. sui. Per rescriptum autem principis legitimati, nullis demum exi-  
stentibus liberis justis, ad patris successionem admittuntur. Aut b. Item  
sanè. C. d. nat. lib. d. Nov. 89. §. illud tamen 9.

#### X LIII.

Successionis illa Prærogativa, quâ fratres utrinque conjuncti, ho-  
rumque filii, in successione patrui, præferuntur patruis & fratribus;  
consanguineis, vel uterinis. Aut b. cessante. C. d. legit. hered. Nov. 118. c. si  
igitur

B. 3.

igitur 3. de Hered. ab intest. venient. non impedit, quod minus in æquali utriusque agnationis sint constituti gradu: Liquet id exinde, quod privalium illud ultra fratrum filios ad descendantium neminem porrigitur. d.c. 3. verum pari jure, tam utrinque quam uno latere conjuncti, ad defuncti successionem admittantur, & extra hanc successionis materiam, discrimin illud non attendatur, ut patet ex §. 4. l. d. nupt.

#### XLIV.

Quamvis ea sit mutui natura, & præcipua, quam à reliquis, qui re constant, contractibus secernitur, differentia, ut consistere, nisi res fiat accipientis, non possit, eoque accipiens, in genere potius quam specie, eam restituere teneatur. l. 2. ff. d. reb. credit. Nihilominus tamen debitor eam ipsam rem, quam accepit, reddere, (dummodo bonitas ejus non fuerit corrupta) non prohibetur, salvâ manente hujus contractus naturâ, siquidem id inter contrahentes ab initio actum sit, ut pro naturâ huic contractui propriâ, accipiens ad rem eandem in genere restituendam, danti sit obstrictus.

#### XLV.

Pupillus ex contractu sine Tutoris autoritate celebrato, ne naturaliter quidem obligatur l. Quod pupillus 41. d. Condict. indeb. l. pupillus 59. d. O. & A. Nisi factus sit locupletior. l. naturaliter 13. d. Condict. indeb. l. si pupilli 66. d. Solut. l. 1. l. 5. d. Auth. Tut. Vel res aliqua ad eum pervenerit l. ult. in pr. ff. d. Iurejur. l. 21. ff. ad L. Falc. l. 25. §. 1. ff. Quando dies leg. l. 95. §. 2. de Solut. Quod si per novationem sive delegationem pro alio intercedat, ejus intercessio quidem non operatur quicquam adversus pupillum, nec necessitate ipsum astringit solvendi, sed hoc tantum, ut debitor qui pupillum creditori suo delegavit, ipso jure liberetur §. 3. l. Quib. mod. toll. oblig. promissio verò facta à pupillo novandi causâ, ob præcedentem contractum, ex quo obligatus fuerat pupillus, valet. l. 1. §. 1. ff. de Novat. Ita ut fidejussor, si quis fortè datus fuerit, firmiter obligetur, & in solidum conveniri possit. l. si pupillus 127. d. V. O.

#### XLVI.

In bonæ fidei quidem negotiis, quin usuræ indistincte, sive ex morâ, sive pacto, sive stipulatione debeantur, dubium non est: In strictis verò contractibus, quamvis ex morâ regulariter non debeantur, in iis tamen stipulationibus, quæ factum aliquod continent, obligatio post moram ad interesse succedit l. si quis 13. de Re judic. Ex pacto autem stri-  
ctis

Etis conventionibus adhibito, usuræ naturaliter debentur. l.s. §. 2. d. So-  
luit. l. 30. ff. de Vsur. l. 12. l. 23. C. eod.

178.

XLVII.

Quamvis in stipulatione conditionali, pendente conditione, dies, neque cesserit, neque venerit. l. cedere diem 213. de V.S. attamen cum in stipulationibus non eventus, sed tempus, quo concipiuntur, spectetur. l. non omne. 144. §. 1. de R. I. ac conditione existente perinde habeantur, ac si pure factæ essent. l. Potior est 11 §. 1. ff. Qui pot. in pig. hab. ideoque stipulatorem quoque contrahendo jus aliquod, quamvis conditionale, ad rem, quam est stipulatus, consequendam, sibi acquirere. l. Nec em-  
ptio 8. de Contrah. empt. proindeque in heredem illud transmittere, si pendente conditione decesserit, dicendum est. l. necessario 8. de Peric. & com. rei vend. l. Veteris 13. C. de Contrah. & committ. stipul. cum & nomi-  
na ac spem futuræ actionis extraneo vendere vel donare non prohi-  
beatur. l. nomina 17. de Hered. vel act. vend. l. spem 3. C. de Donat.

XLVIII.

Servus, cum ex suâ personâ caput non habeat, sed ex Domini de-  
mum personâ jus habeat contrahendi. l. quod attinet 32. d. R. I. l. non mi-  
nus 31. de Hered. instit. Stipulando, Domino indistinctè acquirit l. five  
re mihi 15. de Stipul. servor. Quod in iis quæ in jure consistunt, omni-  
modò quidem procedit. l. Quod dicitur 130. de V.O. In his verò, quæ fa-  
ctum aliquod servi continent, quamvis obligatio Domino acquiratur,  
ipsum tamen factum stipulatione comprehensum, ut quod est perso-  
nale, penes servum remanet, & ad Dominum non transit. l. Qui heredi  
44. de Condit. & demonstrat.

XLIX.

Extraneo neminem posse stipulari, & contractum qui ex personâ  
contrahentium obligationis initium non sumat, esse inanem, ostendit.  
l. stipulatio ista 38. §. alteri 17. de V.O & l. quæcunq; 11. de O. & A. Ideo-  
que in stipulationibus cōjunctim factis, cum obligatio ex formâ ipsius  
conceptæ stipulationis, & naturâ copulæ, inter utrumque dividatur,  
pars extranei, cui inutiliter stipulatio facta est, stipulatori non accrescit:  
Idque in certâ quantitate pecuniæ, vel aliâ re quæ facilè & statim divi-  
ditur, ita obtinet: Secus est, si res, quæ vel omnino dividi nequit, exem-  
pto l. 2. §. 1. & seqq. de V.O. vel difficilius dividi potest, ut fundus &c. in  
stipulationem fuerit deducta, tum enim stipulatio valet in solidum.  
fac. l. 5. ff. comm. præd. l. fundus 64. ff. de Contrah. empt.

Omnino

## L.

Omnino puto statuendum per l. omnes C. de contrah. stipul. sublatâ in stipulationibus verborum solennitate, firmam esse stipulationem, quæ quibuscumque congruis verbis, consensu sit contracta, dummodo personæ præsentes, & habiles, de re certâ, quæ in stipulatum deduci possit, sibi acquirendâ, verbis, (non etiam literis, & scripturâ) præcedente interrogatione & subsequente responsione, consentiant, aut si factum vel conditio in stipulatione versetur, talia sint, quibus natura vel lex impedimento non sit.

## LI.

Servus quamvis naturaliter cùm extraneis, tûm ipsi Domino obligetur l. Servi 14. d. O. & A. pro alio tamen fidejubens, aut alterius novans obligationem, non obligatur l. Sed et si servi 20. ff. de Fidejuss. l. in persona 30. §. 1. de Pact. nisi cum justam intercedendi causam habuerit, & in Dominum ejus de Peculio actio detur. d. l. 30.

## LII.

Cum obligatio fidejussoris sit accessoria principalis. l. Fidejussor 16. § 3. l. Hi qui 34. ff. d. Fidejuss. eoque absque principali obligatione juxta l. 129. de R. I. consistere nō possit, rectè quoq; concluditur, eā, nisi principalis vel civiliter vel naturaliter teneat, omnino nō valere. Non obstante l. Marcellus. 25. de Fidejuss. Licet enim ibi mandati actio fidejussori, pro pupillo, prodigo vel furioso intercedenti, non competere dicatur, cum consensu, quo mandatum constat, hi non obligentur, obligationem tamen reverâ subesse putandum, monet Wesenbecius ad § 2. l. eod. Veletiam (ut l. hanc interpretatur Dn. Bachovius) id intelligendum de eo, qui non ut fidejussor ex obligatione accessoriâ, sed potius, tanquam reus principalis ex suâ promissione obligatur: Ita ut hæc promissio, externâ tantum specie, fidejussio esse videatur, reverâ autem pro principali obligatione habenda sit, ex quâ solus promissor subductâ personâ pupilli ut in l. 48. d. Fidejuss. obligetur; præser-tim cùm iniquum videri possit, ut ipsi in alterius creditoris detrimentum succurratur l. in causa 13. de Minor. cum sibi imputare debeat, quod pro tali intervenerit, à quo mandati judicio recuperare, quod pro eo solvit, non possit. l. 19. d. R. I.

## LIII.

Per l. 3. C. d. Rescind. vend. probo, quod à contractu jure perfecto, siue in scriptis sive, sine scriptis is celebratus sit, alterutro invitore rece-dere

dere non liceat, etiam si duplum offerre venditor emptori paratus sit.  
*I. non est probabilis 6. C. eod.* Sed qui contractui stare recusat; siquidem sit emptor, arrhas non solum amittere, aut si venditor, duplicates redere compelletur, verum actione empti vel venditi ad interesse insuper, si pluris intersit, quam arrharum aestimatio praestet, tenebitur. *arg. I. I. II. §. 9. ff. de Act. empt.* Eodem, quod ad Arrhas attinet, observando, in contractu scriptis quidem perficiendo, nondum tamen omnibus partibus absoluto. *pr. I. de Empt. & vend. l. Contractus 17. C. d fid. instrum.*

119

#### LIV.

Emptio nisi premium in numerata pecuniâ consistat, contrahi non potest. *I. I. de Contrah. empt. §. 3. I. eod.* Aliud tamen, consentiente creditore, debitor postmodum ex intervallo, pro ea in solutum dare non prohibetur, *I. manifesti 17. C. de Solut.* nec propterea contractus fit irritus. *I. Precii 9. C. de rescind. vend.* dummodo initium emptionis, quod in contractibus inspici solet. *I. si procuratorem 8. ff. mandat.* ratum fuerit, & in pecuniâ numerata constiterit.

#### LV.

Si quis rem, cuius non sit commercium, ignorans emat, quamvis emptio jure non teneat. *I. Qui officii 62. §. 1. ff. de Contrah. empt.* valet tamen ad hoc, ut venditi actione venditor conveniri possit, quanti emptoris interfuit, rem sibi non esse traditam. *I. 4. & d. l. 62. d. Contrah. empt.* Ubi tamen differentia quædam ponenda ex *I. Julianus 13. de Act. empt.* inter venditorem scientem & ignorantem, ille enim in omne detrimentum obligatur, hic non item. Quod si uterque rem talem esse sciverit, nihil potius agere voluisse videntur, & contractus, velut impossibili conditione adjecta, ipso jure nullus est. *I. domum 57. §. fin. de Contrah. empt.*

#### LVI.

Venditor de damno vel interitu rei venditæ, nisi vel culpâ vel morâ ipsius illud accidit. *I. illud sciendum 17. de Peric. & com. rei vend.* *I. si ex legati 23. d. V. O.* vel aliud inter contrahentes actum sit, non tenetur, sed ad emptorem, quamvis per traditionem nondum ejus rei Dominus sit effectus, omne pertinet. *I. necessario 8. de Peric. & com. rei vend.* si vero emptor moram fecerit, de dolo saltem venditor tenetur. *d. l. 17. de Peric. & com. rei vend.*

C

Quam-

LVII.

Quamvis Emphyteuta non semper certam mercedem, sed quotam interdum fructuum partem, Domino pro annua pensione seu canonie praestet, non tamen ipsi ob fructuum sterilitatem vel damnum aliquod praediis illatum, canon, ut in locatione merces. l. si merces 25. §. Vus major. 5. ff. locat. l. licet s. C. eod. pro parte remittitur, cum magis indirecti dominii recognitionem, quam fructuum nomine is praestetur, ut communis est Dd. sententia: Quocirca illo intra præfixum tempus (nisi aliud inter Dominum & Emphyteutam convenerit) non soluto, jure suo merito cadet, & Domino volente, judicis autoritate, à praediis Emphyteuticis repelletur. l. 2. C. de Iur. emphyt.

LVIII.

In Empto & Locato, ut in quibus utriusque versatur utilitas, quamvis & lata & leviusculpa regulariter praestanda veniat. l. quod s'apè 25. §. si res 4. de Contrah. empt. l. si ut certo 5. §. 2 ff. Commod. interdum tamen etiam levissimam praestandam esse culpam, nonnunquam verò dolum saltem, non obscurè innuit. l. Illud 17. de Peric. & com. rei vend. l. si merces 25. §. qui columnam 7. ff. locat. sic & in reliquis, qui re vel consensu constant contractibus, quamvis pro cujusque horum natura, vel dolus saltem vel Culpa seu lata, s. levius s. levissima regulariter sit praestanda, tamen id respectu certarum quartundam circumstantiarum, vel intercedentium à contrahentibus conventionum, mutari posse dubium non est. Patet ex d. l. si ut certo 5. §. interdum 10. ff. commod. l. in rebus 18. eod. l. 1. §. 6. 8. 12. & 35. ff. Depos. & aliu pañim occurrentibus. sextibus.

LIX.

Societatem in qua partes lucri vel damni, non sunt æquales, proportione Arithmeticâ, si uterque æqualem pecuniæ summam vel operam; aut Geometricâ, si alteruter plus, ratione vel rei vel operæ, in eam contulerit, esse nullam ostendit l. si non fuerint 29 ff. pro Soc. cum jus quodammodo fraternitatis, quam æquo jure constare non est dubium, in se habere ab Ulpiano dicatur in l. verum est 63. ff. eod. Jure tamen conventionis & pacti talem societatem valere communis putat Dd. Schola, dummodo non sit nimia inæqualitas facta. d. l. 29. pr. §. 1. l. de Societate.

cier. Videretur enim aliâs Societas donationis causâ contrahi , contra l. 5. §. fin. ff. d. t. l. 16. §. 1. de minor. l. 32. §. 24. ff. de Donat. inter vir. & uxor.

120.

## L X.

Statuo cum Treutlero & Wesenbecio, negotiorum gestorem, de culpâ levissimâ regulariter non teneri, sed latam & levem præstantio, liberari, per ea, quæ dicuntur in l. 11. ff. de neg. gest. l. 20. C. eod. nisi vel tale quid suscepere, quod suâ naturâ summam requirit diligentiam, aut quod Dominus facere non sit solitus, quo posteriori casu, etiam de casu tenetur d. l. 11. Vel denique si alius absentis negotia diligentius es- set administraturus. §. 1. I. de Oblig. ex quasi contrah. ac in paucis aliis, à nonnullis Dd. annotatis casibus.

## L XI.

Interdum furem adversus furem, contra l. qui re 76. §. 1. ff. de furt. posse furti agere; Et furem, quamvis furtum reverâ subsit, furti non teneri, constat ex l. qui vas 48. §. si ego 4. ff. defurt. & l. si servi 17. eod. Ubi priori quidem casu, furtum in vestimento vel aliâ re, quam polliendam certâ mercede acceperat, dum inscio vel invito Domino eam alii, cui postmodum subrepta est, commodaverat, committenti, furti actio adversus tertium datur: Posteriori verò, patri vel Domino adver-sus filium vel servum, ut nulla actio, ita nec furti cumpetit. l. Actiones 7. de O. & A. nisi ratione peculii. l. si quis 52. §. an autem 6. defurt. l. lis nulla 4. de Iudic.

## L XII.

Hodiè cum pœna furti pecuniaria, dupli vel quadrupli, in crimi- nalem ex quâ vitâ admittitur, sit mutata, puto rectè eam non extendi, adversus eos, quos furti olim, rem alienam, puta commodatam, oppi- gnoratam vel depositam invito Domino contrectando vel abutendo, conveniri potuisse ostendit l. qui jumenta 40. ff. defurt. §. 6. & 10. I. d. Oblig. ex delict. sicut nec adversus eos, quorum ope consilio furtum fa-ctum est, nisi actui furandi ipsi interfuerint. Treutl. part. 2. disp. 30. th. 3. lis. d. Wesenbec. ad §. Interdum 10. I. de Oblig. ex delict. & pleriq. Dd.

C 2

Da-

### LXIII.

Damnum, sine dolo vel culpâ aliquâ facientis, illatum, L. Aquil. non resarcitur; Unde, qui vel casu, (dummodo rei licitæ operam dederit,) vel vi summâ urgente hominem, sibi insidianem, occiderit, vel necessitate extremâ adductus, ob evitandum majus aliquod malum, damnum quoquo modo dederit, securus erit. l. si quis 49. §. 1. ss. ad L. Aquil. §. 2. l. eod.

### LXIV.

Actio Injuriarum datur tam contra eum, qui verum, quam qui falsum aliquid convicii causâ objecit l. 5. C. de Injur. fac. 18. pr. ff. cod. Attamen si quis infamaverit aliquem de eo, quod & notum esse & oportet, & expedit Reipub. non est bonum & æquum eum ob istam rem condemnari d. l. 18.

### LXV.

Possessor rei corporalis quamvis in exceptionibus multisque aliis judiciis actoris sustineat partes. l. 2. §. 3. ff. fam. hercisc. l. In Exceptionibus 19. de Probat. l. si priusquam 15. de Oper. nov. nunc. agere tamen negativâ, vel agenti eam opponere, sicut is qui res possidet incorporales nullo modo potest. §. 2. l. de Act. cum sufficiat ei possessio, à quâ, ut in potiori conditione constitutus, repelli ab adversario nisi intentionem suam probaverit, non potest l. 2. C. de Condict. ob turp. caus. 2. l. C. de R. V. §. 4. l. de Interdict.

### LXVI.

Actio Pauliana, quâ creditores, res debitoris, in fraudem consum alienatas, rescissâ traditione repetunt, non aliter competit, nisi eventum fraus habuerit, unde fraudatos esse creditores manifestò appareat. l. ait. Prætor 10. ff. Qua in fraud. cred. Et is insuper cui res est tradita fraudis fuerit conscius. l. Quod autem 6. §. Hoc edictum 8. d. t. Si enim fraudis ignarus sit, actio hæc cessabit, per ea quæ dicuntur in d. l. 6. §. 8. Eum tamen qui lucrativo titulo rem à debitore accepit, indi-

indistinctè, si creditores sint fraudati posse conveniri ostendit. d.l.c.  
§. simile modo 11. ff. eod.

121.

## LXVII.

Quamvis in actionibus præjudicialibus jus personarum, vel status versetur; realibus tamen potius, quam personalibus annumerandas puto, cum non orientur ex negotio vel facto aliquo, quod personalē possit parere actionem, nec formula, ex quā potissimum natura judicatur actionum, cum personalium conceptione congruit, sed agens, ut in realibus usuvenit, se quasi Dominum libertatis vel juris, quod alteri in suā personā, quæ falsò in servitute à possessore fuit detenta, deberi negat, declarari postulat. Oldendorp. cl. 3. act. 9. Wesenb. ad §. Prajudiciales 13. I. d. Act.

## LXVIII.

Statuo cum Treutlero, perl. Aſiduū 12. C. Qui pot. in pign. habi  
¶ Nov. 97. c. 3. Vxorem, in repetitione dotis numeratæ, omnibus ma-  
riti creditoribus, qui quidem jure simplicis creditoris veniunt, præ-  
ferri, non solum iis, qui expressam habent hypothecam, sed etiam pri-  
vilegiatis, qui tacitam & privilegiatam in executione habent hypothe-  
cam; Et illis, etiam si sint anteriores, his verò tum demum, si fuerint  
posteriores. Eos autem qui jure Dominii rem suam, penes maritum  
existentem, vindicant, ab uxore non excludi, licet tempore posterio-  
res sint, cum Dn. Bach. d. act. diff. 6. th. ult. concludo.

## LXIX.

Libellum quidem hodiè ab auctore, in eodem iudicio, posse cor-  
rigi, nec alià judicis delegatione opus esse, manifestè indicat, l. in deli-  
ctis 4. §. ult. d. noxat. act. 1. 3. C. d. Edend. §. Si minus 34. I. d. Act. An autem  
ad litem usque contestatam, vel sententiam definitivam id liceat, variae  
Dd. sunt opiniones. Dn. Obrecht. d. concip. & form. lib. c. 20. Treutl. &  
ab hoc citati in Diff. 4. Th. ult. ad sententiam usque id permissum asse-  
runt; Quorum sententia etiam juri Justinianeo magis videtur conser-  
tanea, quam eorum, qui emendationem quidem libelli ad sententiam  
usque, mutationem verò, non nisi ante litis contestationem fieri posse  
statuunt. d. §. Si minus 34. ibi eodem iudicio & §. seq. l. d. Act.

C. 3

Heres

LXX.

Hæres sicut actionibus ex maleficio ortis, ita & ob dolum defun-  
cti, in contractu stricto admissum, non tenetur, nisi quatenus ad ipsum  
pervenit. l. sicut i 38. d. R. l. Hoc jure i 52. eod. l. Quæsum est in fin. d.  
Preclar. In bonæ porrò fidei contractibus in solidum con-  
venitur. l. ex depositi 12. de  
O. & A.

F I N I S.

Massburg, Diss., 1627-28




SB

DN



**Farbkarte #13**



POSITION NUM

III.

MISCELLANEARUM  
JURIDICARUM  
DECADES VII.

16277

QVAS

ASPIRANTE DIVINI NUMI-  
NIS GRATIA

S V B P R A E S I D I O

VIRI,

C L A R I S S I M I E T C O N S U L T I S S I M I

D N . S I G I S M U N D I *flach/*  
U . J . D . E T I N I N C L U T A A R G E N-  
T O R A T E N S I U M A C A D E M I A P R O F E S S O-  
R I S O R D I N A R I I P R A E C E P T O R I S E T F A U T O R I S  
sui summâ observantiâ colendi,

*Publicæ disquisitioni subiicit*

Addiem 14. Septemb.

I N A U D I T O R I O M A I O R I .

CHRISTOPHORUS FRIDERICUS *Schwall*  
Sedino - Pomeranus.

*sc*

A R G E N T O R A T I .

T y p i s J O H A N N I S R E P P I I L

A N N O M . D C . X X V I I .